Technopaegnion Poeticum ex Codice MS.

edidit **Hugo Slevogt.**

Specimen II*).

De litera F.

Primo haec litera ignis comburentis sonitum aliqua ex parte exprimit. Neque enim alio elemento aptius magnum incendium et ignis furorem imitari licet ut ‚Fractae et disiectae iacent. Fana flamma deflagrata.'

Igni repraesentando etiam aptae sunt literae R et S, ut patet ex illis: ‚Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento Volvitur, exsuperant flammae, furit aestus ad auras'.

Sibilat et strepit nonnunquam ignis, ut etiam supra de D et T diximus.

Secundo. Ad flatum exprimendum multum confert. Obtusiorem enim illum ventorum sibilum continuata pronunciatione pulchre imitatur. Itaque fortasse ob hanc nominis rationem primus auctor has voces Flatus et Flamma ab illo elemento incipere voluit. Quapropter videmus poetam haec tria elementa (sc. R, S, T) admiscere assiduo, quotiescunque ventorum impetum imitari studeat. Sed magis unam quam aliam repetit pro ratione loci, quem venti occupant. Quandocunque enim timiditatem prae se ferunt, ut in terra, quandoque circa rimas portarum aut fenestrarum versantur, tunc formam quandam exsibilationis praebent. Quae si obtusa est, commode per F., si acutior, per S explicatur, quae frequenter tamen inter se miscentur. Verum seorsum aut saepius S repetitur in mari, nam aquarum commotio per hoc elementum aptius quam per aliud quodvis repraesentari solet. Itaque miremur hos versus:

Qua data porta ruunt et terras turbine perflant.
Incubuere mari totumque a sedibus imis
Una Eurus Notusque ruunt creberque procellis
Africus, et vastos volvunt ad littora fluctus.

Quod autem ad F ipsum pertinet, satis apparet ad explicandam vim venti affectatum illud a Vergilio fuisse, nam cum posset ‚plena' dicere, dixit potius ‚Loca feta furentibus Austris'. Idem expressit etiam in illo ‚In segetem veluti cum flamma furentibus Austris Incidit' etc. Item .... ‚Ferunt sua flamina classem'**).

De litera G.

G literae natura et Vis.

Ad huius literae naturam cognoscendam legamus Platonis verba: Quia vero labentem linguam V remoratur, formavit eo interiecto *γλίσχρον* i. e. lubricum et *γλυκύ* i. e. dulce. Hoc loco tamen G naturam Plato explicat, addit etiam rationem, qua poterimus lubricitati nimiae ipsius L temperare, Quodquidem ipse facit in exemplis vocum, quae res significant non omnino lubricas, at suaves tamen, sed necesse est huic literae adiungere examen ipsius C. De hac vero supra dictum est.

De litera H.

Aspirationis nota est.

*) Commentatio quid sibi velit, et quaenam ratio eius sit, si quis quaerat, superioris anni programmate edocebitur.

**) Ceterum pernobile illud carmen facere non possum quin leviter attingam: Wonne weht von Thal und Hügel, Weht von Feld und Wiesenplan, Weht vom glatten Wasserspiegel, Wonne weht mit weichem Flügel Des Piloten Wange an.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De litera I.

I litera tenuibus rebus explicandis est apta, ut elucet, cum Cicero de se loqui atque pericula, quae passus esset, explicare voluit. Quod inflexa et paene flebili voce pronunciari cum oporteret, replicavit eam literam, praecipue in fine dictionum, ut: Ego multa tacui, multa pertuli, multa concessi, multa meo quodam dolore in vestro timore sanavi etc. Haec Cicero.

Secundo. I rebus penetrantibus est aptum, nam Graeci quoque auctores usi sunt hac litera ad tenuia quaeque, inprimis autem ad penetrantia. Idcirco ἰέναι, ἴεσθαι, εἴσθαι (sic!), id est ire, progredique per I imitati sunt.

Quam ob rem fulminis ictum, qui valde penetrans est, eiusque motum qui imitari velit, I assumat. Audi Vergilium: ‚Ipsa Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem' et locum illum caeli ignes egregie depingentem ‚Intonuere poli, et crebris micat ignibus aether'.

Idem etiam expressit poeta, cum penetrantes per rimas navium aquas describit ‚Accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt'. Atque id ipsum imitari voluit, cum de facili Antenoris in Italiam adventu loquitur ex persona Veneris, ut

Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
Regna Liburnorum et fontem superare Timavi.

Huc spectat odiosa illa Troianorum in Italiam festinatio, odiosa inquam Iunoni, quae penetrationem in illis maximam significat ‚Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor Ilium in Italiam portans'.

Tertio. Flebilibus materiis apta est haec litera, nam flebiliter ista cani Cicero dicit in primo Quaest. Tusc. libro: ‚Haec omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari, Iovis aram sanguine turpari'. Assiduum est I in his, similiter autem cadentia fecit carmina, quia plorantium est eundem servare et iterare accentum in elocutionibus.

De litera L.

Primo L mollibus rebus est aptum, ut videmus his versibus

Mollia luteola pingit vaccinia caltha
Et Ipse ego cana legam tenera lanugine mala.
Et Ille latus niveum molli fultus hyacintho
Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas.

Atque ut ad gravissimum carmen me convertam, in Aeneide

Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violae seu languentis hyacinthi.

Quid quaeso his mollius suaviusque?*) Atque in hoc: ‚Est mollis flamma medullas'.

Secundo L lenibus rebus aptum est, ...‚Quanquam lenire dolentem Solando cupit' etc., et illud ‚Exilioque domos et dulcia limina mutant' Et ‚Oscula libavit natae'.

Tertio L suavibus rebus aptum. Suavia autem sunt haec

Phyllis amat corylos, illas dum Phyllis amabit
Nec myrtus vincet corylos nec laurea Phoebi. Et:
Torva leaena lupum sequitur lupusque capellam
Florentem cytisum sequitur lasciva capella.

Quarto volatui aptum est. Audi hoc de Mercurio ab Iove ad Aeneam misso

Haud aliter terras inter caelumque volabat
Littus arenosum ad Libyae.

Quin et per Metaphoram volatum eodem elemento imitatur Maro, ut

Qualis coniecta cerva sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cresia fixit

*) Quantopere etiam Goethii nostratis verba blandiuntur auribus: ‚Wenn sich lau die Lüfte füllen' vel Heinii illud: ‚Klinge kleines Frühlingslied, kling' hinaus ins Weite!'

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Pastor agens telis liquitque volatile ferrum
Nescius, illa fuga silvas saltusque peragrat
Dictaeos, haeret lateri letalis arundo.

Quinto L lapsui, fugae, levitati atque velocitati aptum est, ut Vergilius Euryali matrem audita morte filii praecipitem describit. Mulieris enim cuiusque cum sit, levitatem quandam animi et illa non poterat non admixtam sibi habere, quam ob rem haec litera frequens est .... ‚Non illa virum, non illa pericli Telorumque memor'.

Est etiam, ut lapsum eorum, qui morientes decidunt, praeterea sanguinis ex vulnere letali profusionem mollemque fluxum denotet. Utrumque exprimitur his quidem verbis: ‚Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen'.

Eadem ratione anni cursum et temporum descripsit in invocatione deorum: ‚Vos, o carissima mundi, Lumina labentem caelo quae ducitis annum, Liber et alma Ceres', quia labi videntur dies, menses, anni sine ullo strepitu motum perficientes*).

Sexto L rebus humilibus aptum est. Existimo autem huius elementi praecepta ad unum caput posse reduci, atque fortasse clarius et brevius res omnes hoc ultimum complectetur, ita ut ubicunque humiliter dicendum sit aliquid, ab hac litera imitationem quaeramus; nam et fluxus et volatus et mollitudo et cetera, quae dicta sunt, ad humilitatem referri apte meo iudicio possunt.

Septimo L rebus abiectioribus aptum. Abiecta enim res et contemptui habita humili elocutione huius literae indiget, ut

Infelix lolium et steriles dominantur avenae.
Et Solus ubi in silvis Italis ignobilis aevum.
Exigeret.

Apparet enim in his commiseratio, quae quidem revera humilem semper habet sermonem.

Octavo enim L commiserantium proprium est. Tametsi rex Priamus loquebatur, tamen, quia non sine commiseratione implorabat Pyrrhum, filii interfectorem, ideo simul cum literis venustam orationem perficientibus L etiam admiscuit, ut utriusque ratio haberetur: ‚At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis'.

Nono et haec respicientes Latinae linguae auctores diminutionem nominum huius literae adiunctione fecisse existimo. Quemadmodum enim res humiliores sunt, ita nomen quoque illas imitatur, ut sunt *‚puerulus, puellula'*; deinde *‚labella, tenella, mollicula, suaviola'*, alia. Nec ob aliam fortasse causam Vergilius maluit ‚Si quis parvulus aula Luderet Aeneas', quam ‚parvus in aula'.

Est autem illius literae natura non solum a poetis, sed etiam ab oratoribus observata. In Herennio ita scribitur Lib IV: ‚Vide, ne facias impudenter, qui tuo nomini velis ex aliorum labore libare laudem'. Multa etiam exempla apud illum reperiuntur.

De literis M et V.

Explicabo literas M et V, sed promiscue dicam, saepius enim admiscentur in versibus, quia ab utraque res magnae explicari solent.

Primo magna moles, magna domus vel aedificium, magnum monstrum, magnae tenebrae, maximum antrum et specus, deinde ingens lacus et umbrosus magnam admirationem et horrorem incutiunt. Quare Vergilius cum magnitudinem aliquam corporis cuiusvis imitari vult, M sumit assiduum, cum vero umbrosum locum depingere sibi proponit, inculcat V; quandoque tamen utrumque miscet sive ad utramque rem coniunctim demonstrandam, sive ut alteram in alterius auxilium ducat. Quicquid vero timorem inferre potest, ipso V expressit, eadem ratione.

Quodsi ad utriusque pronunciationem nos convertamus, profertur M pressis extremis labris, sonumque os intus includit, deinde emittit mugientis similem. Os autem quasi defatigatur in eius prolatione, cum aperire, claudere, denique rursus illud aperire cogamur, dum eam literam pronun-

*) Confer Ovidianum illud: ‚Labitur occulte fallitque volatilis aetas'.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ciamus, ac propterea existimandum est res magnas, hoc est eas, quae non sine magno labore hominum industria perficit, ab hoc elemento repraesentari solitas. Implet enim augetque vocem, in qua reperitur. Propterea etiam haud scio an magnam quandam figuram huic characteri et Graeci et Romani dederint. Quattuor enim lineis invicem distantibus hanc literam pingebant. Nec est ulla inter alias omnes, quae dum scribitur, maiorem locum occupet. Atque revera ita esse verisimillimum est, nam alias quoque ita delineaverunt, ut earum characteres oris formam, qua illas pronunciamus, imitentur. Sic I quia tenui ore profertur, unica linea tenui assignata est. O vero rotunditatem oris refert, quam habet in eius pronunciatione, et in aliis similis ratio est. Atque ut ad V accedamus, quia occluso ore pronunciamus, cum alia multa, tum merito occlusum atque tenebris umbrisque opertum locum eo designamus. Obscurissimus enim est eius literae sonus.

Secundo M litera, quia magni et tumentis soni omnis fere collisio est, a Vergilio in rebus arduis atque magnis semper adhibetur. Quare cum elisio ipsius M incidit, hac ratione versum admirabiliorem reddit, atque propterea Maro bis eam posuit: ‚Multum ille et terris', quia difficultatis notationem hoc modo augere voluit. Ac primum exemplum sit de Cyclope:

Vix ea fatus erat, summo cum monte videmus,
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum et littora nota petentem,
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Tertio rebus novis et mirabilibus litera M apta est. ‚Cum subitum dictuque oritur mirabile monstrum'. Et de sue albo: ‚Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum'.

Quarto res magna et aspera depingitur:

Speluncae dorso insurgens, altissima visu,
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.

Quam ob rem etiam machinae ingenti M aptum est, ut videmus in his: ‚Hoc metuens molemque et montes insuper altos Imposuit regemque dedit'.

Quinto comedentibus aptum est. Etenim M clausis et compressis labris pronunciatur. Itaque cum alternatim haec litera cum illis literis, quae id muneris a labris non exposcunt, ponetur, partim clauduntur ora labris, partim aperiuntur, sed qui mandit, idem facit. Audi Thyesten loquentem ‚Impius hortatur me frater, ut meos malis miser manderem natos'. Nonne ob assiduum M mandere videtur, qui hunc versum proferat? Argutula sane animadversio.

Sexto. M cum V permistum tempestatem maritimam atque hiemis atrocitatem eleganter illustrat.

Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt
Et Interea magno misceri murmure pontum
Emissamque hiemem sensit Neptunus.

Septimo M cum V permistum obtusum quemvis sonum vel bombum*) et mugitum terrae denotat.

Et fessum quoties mutet latus (sc. Enceladus), intremere omnem
Murmure Trinacriam et caelum subtexere fumo.

Octavo M cum V permistum tenebras et obscuritates repraesentat, ut

Classem in convexo nemorum sub rupe cavata
Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris
Occulit.

Nono. Ubi vero nulla umbra aut tenebrarum imago apparet, ut hic: ‚Haec memorans animo nunc huc nunc fluctuat illuc', cogitatio ingens et cura hominum mentem turbans exprimitur, ut est illud ‚Huc turbidus atque huc Lustrat equo muros aditumque per avia quaerit'.

---

*) Apud nos simili modo admiramur poetae imitationem, qua tetrachordi fides gravissimis vocibus canentes audire nobis videamur: ‚Worüm dann, worüm dann, worüm dann dat Toben, Worüm dann, worüm dann, worüm dann de Larm!'

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De litera N.

Primo. Quae intus sunt hoc elemento inculcato exprimemus, cui se V associabit nonnunquam, ut

. . . . Hic fessas non vincula naves
Ulla tenent, unco non alligat ancora morsu.

Haec significant portum, quae interior quaedam pars est totius loci, qui scopulis cingebatur, ut ‚quibus omnis ab alto Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos'.

Secundo. Quoniam consilium aliquod occlusum est et secretum, apte in illo N assiduum est, ut ‚Non ego cum Danais Troianam excindere gentem Aulide iuravi'.

Tertio. Apte Maro cum interrogantes homines introducit vel dubitantes, ipsum N frequentare solet, ut in illis ‚Qui teneant (nam inculta videt) hominesne feraene quaerere constituit', et . . . . ‚An Nympharum sanguinis una'? et illud ‚Tantane vos generis tenuit fiducia vestri'?

Quarto. Vergilius noctem caecam describens, saepe N repetit, ut

Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat
Et Defensi tenebris et dono noctis opacae.

Quinto. N ictum vel sonitum repraesentat, quia lingua videtur in eius pronunciatione talem promere, praesertim in illo: ‚Antra Aetnaea tonant' etc. Deinde ‚Consonat omne nemus'.

De litera O.

O litera grandem efficit orationem atque venustam. Propterea Cicero in orationibus suis aliquando frequenter eam repetit. Verba Ciceronis in principio orationis haec sunt: ‚Video in me omnium ora atque oculos esse conversos, video vos non solum de vestro ac rei publicae verum etiam, si id depulsum sit, de meo periculo esse sollicitos'.

Secundo. Hac litera non solum lamenta ac luctus clamosos sed quemcunque clamorem, immo etiam strepitum imitamur

Clamorem immensum tollit, quo pontus et omnes
Intremuere undae.

Et illud:

Tum satus Anchisa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna praeconis voce Cloanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro.

Strepitus autem hic declaratur. Praeterea vides, quam inflet os et orationem extollat, quamque bene etiam rei, de qua agitur, congruat illud:

. . . . Medioque fragosus
Dat sonitum saxis et torto vertice torrens.

Tertio. In universum illud O assumere consuevit Maro, cum de gravi atque magno quodam sermo incidit

Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu
Et Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Quarto. Est et illud Salii inter currendum dolo Nisi cadentis. Nam haud scio an lapsum magnum depingere volens exornaverit orationem assiduo O, ut videmus:

. . . . Sed pronus in ipso
Concidit immundoque fimo sacroque cruore.

De litera P.

P (sicut F) ventorum impetum maxime demonstrat. Atque adiuvant hanc et cumulant R, T atque B, ut vides in his: ‚totumque a sedibus imis, Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis Africus'.

Secundo. P pronunciatur compressis arcte labris. Quamobrem apte eius repetitio fiet, ubi compressionem aliquam referre opus sit.

Illud autem animadvertere maxime oportet, ut pro ratione loci huius modi compressiones aliis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

elementis fulciamus, quae loco illi explicando congruere videbuntur, deinde ut, si in mari fiat, veluti cum fluctus navem percutientes quasi quadam assiduitate illam premunt atque agitant, S admisceamus, ut ‚Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus In puppim ferit' etc.

Sin haec continuitas alibi sit atque in aquis, motum ipsum adiuvare possumus litera R admista, ut ‚Dixerat. Ille patris magni parere parabat Imperio.'

Tertio. Timori et spei est aptum. Atque timorem quidem Vergilius sic repraesentavit:

Olli somnum ingens rumpit pavor, ossaque et artus
Perfundit toto proruptus corpore sudor.

Spem vero sic imitatus est.

Laeti bene gestis corpora rebus
Procurate viri et pugnam sperate parati!

Quarto. Futurae rei timorem recte exprimit, quicunque ille est, qui apud Ciceronem in II Lib. Quaest. Tuscul. loquitur: Qui alteri exitium parat, eum scire oportet sibi paratam pestem, ut participet parem.

Quinto. Etiam perseverantiam quandam atque apparatum hoc modo explicat, ut

Pars pedes ire parat campis, pars arduus altis
Pulverulentus equis furit etc.

Sexto. Vim etiam ac robur sive conatum validum hoc elemento satis apte expressit, adiuvantibus quibusdam aliis literis, cum dixit: ‚Continuo puppes abrumpunt vincula ripis'.

De litera Q.

Est apud Archipoetam versus maxime notabilis: ‚Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum'*). Quo versu exprimitur equitum incessus, ut non aptius repraesentari re ipsa posse videatur propter literas P et Q. In hoc vero exemplo et statio et sonitus coniuncta sunt: ‚Constitit Aeneas strepitumque exterritus hausit'.

De litera R.

Vergilius motum ipsum sive aliquid motioni aptum per repetitum R expressit. Hoc enim est eius proprium. Poeta autem ut motum illum in mari atque aquis esse denotaret, assiduum S posuit, et quoniam res, quae motum caussabatur, erat ventorum turba, ideo et alias admiscuit literas, quibus et alias ventos imitari solitus est, ut

Qua data porta ruunt et terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a sedibus imis
Una Eurus Nothusque ruunt creberque procellis
Africus, et vastos volvunt ad litora fluctus.
Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.

Ultimum versum

‚Insequitur clamorque virûm stridorque rudentum'

alibi repetiit, ut motum etiam exprimeret, verum quia non erat in aquis sed in terris, elegit voces, quae S non haberent, sed alias, quae et loci et rei naturam aptius imitarentur. Dixit enim

‚Exoritur clamorque virûm clangorque tubarum'

ubi deseruit ‚insequitur', accepit vero ‚exoritur', quia in hac R geminatur. Similiter removit ‚stridor' et posuit ‚clangor', quia haec vox tubam magis aemulatur. Neque enim exsibilatio in tuba imitanda fieri potest. Ceterum illae literae R et S conspirasse quodammodo videntur.

Secundo. R non solum, motui sed asperitati congruit, ut videre licet ex primo exemplo citato.

---

*) Memoria et laude dignum (quamquam nulla inest litera Q) videtur illud:

Und es tanzte der Hengst über knirschenden Sand,
Doch schwerhin stampfte der Elefant.

Atque alterum mulorum cursum depingens: *πολλὰ δ'ἄνεντα κάτεντα πάρεντά τε δόχμιά τ' ἦλθον.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De litera S.

Primo. S et R magnam inter se habent similitudinem, et video utramque in illas res appeti solitam, quae motum aliquem exprimunt, variari tamen pro ratione rei, cuius motus sit.

Secundo. Literam R iam dictum est motui et asperitati congruere. Eandem vim habet S.

Tertio. S submisse loquentibus aptum est (illud enim omittere non queo). Cum vetulae deum submissa voce precantur, nulla praeter S conspicua est aut magis percipitur litera (aliae enim obscurantur), cuius solius sibilus auditur. Atque hoc idem illis fit, qui clanculum loquuntur atque audiri nolunt*). Igitur si quis introducit aliquem ita loquentem, commode imitabitur per huiusmodi literae repetitionem. Sic Vergilius cum Aeneam facit de magnis rebus cum Achate loquentem, hoc intermittere noluit, ut

Multa inter sese vario sermone serebant.

Quarto. Observari potest Vergilium, cum fiat in aliqua specie ferri, ut est ensis armorumque genus omne, item catenae, equorum frena et id genus cetera, semper opem mutuari ab ipso S. Nam quemadmodum aquae ita et ferri cuiusvis formae motus exsibilationis quandam imaginem refert. Erit igitur hoc elementum per se ipsum aptum aquarum motibus quibuscunque exprimendis et omnibus armorum generibus. Pauca exemplo sint illa, quibus comprobatur ab elemento S arma significari. Sed cum est motus, tunc simul cum R est.

. . . . Furor impius intus
Saeva sedens super arma et centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Quanquam in his ipsum S propter exsibilationem refert etiam Furoris bellici, de quo loquuntur, rabiem et asperitatem, quo declaretur feritas monstri. Simile est illud Aeneidos ‚Substitit atque utero sonitum quater arma dedêre'. Et ‚Clarescunt sonitus, armorumque ingruit horror'.

Quam ob rem etiam equis frenatis convenit S, cui perbelle elementum M admistum est, ut

Stat sonipes et frena ferox spumantia mandit**).

Quinto. S ventorum asperitati aptum est. Hoc vides in his:

Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris.
Hoc metuens molemque et montes insuper altos
Imposuit.

Sexto. Ignis vorat omnia et ad nihilum fere ducit, nec sine strepitu fieri solet. Quia vero prout materia suggeritur, aut augetur aut minuitur, possumus in hoc omnes motus et species animadvertere. At quoniam quod comburitur crepitat et diversitatem quandam sonitus refert, ita ut nunc tonare nunc exsibilare videatur, propterea T et S. misceri solent; neque tamen id quidem semper aut una simulve, sed alterutrum pro loco et ratione. Nam in illo versu nulla est S admistio: ‚Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari'.

In hoc vero admista est litera: ‚Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis'.

Septimo. S aquarum motui aptum est. Omnibus enim fere locis, quibus de aquarum motu Vergilius dicit, nonnullas voces habet, quibus semper utitur ut salis, spuma, saxa, scopuli; studetque saepius, cum opus est, eas voces adhibere, quibus inculcare hanc literam possit; quandoque etiam adiectivum amat, ut ‚spumosus', ‚spumosis', atque maluit dicere ‚salis' quam, ‚maris' ut ‚Spumas salis aere ruebant'. Et ‚Campos salis aere secabant'. Nam sic maiorem asperitatem demonstrat. Et ‚Fit sonitus spumante salo'.

Praeterea cum ludi in honorem Anchisae fiebant currentibus Troianorum navibus, ita legimus: . . . . ‚Ferit aethera clamor Nauticus, adductis spumant freta versa lacertis'.

---

*) Perquam lepide Cicero senectutem depingit tarde et occulte adlabentem: ‚Sensim sine sensu aetas senescit'.
**) Eandem equi ferocis imaginem ob oculos ponit nostrum: ‚Und der silberbeschlagene Schimmel schnob'.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In primo quoque libro eodem artificio ad hanc literam Maro confugit, cum de aquis loqueretur Simoentis fluvii. Ingemens enim Aeneas loquitur

Saevus, ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens
Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis
Scuta virûm, galeasque et fortia corpora volvit.

In quibus animadversione dignum est, quod ab eodem singuli versus elemento et incipiunt et in idem desinunt praeter tertium.

Octavo. S serpentibus describendis aptum. Nam Vergilius cum de anguibus loquitur, qui a Tenedo per mare ad litus advolant Laocoonta petentes, sic habet: ‚Iubaeque Sanguineae exsuperant undas: pars caetera pontum Pone legit'. His quidem verbis non solum aquas sed etiam exsibilationem anguium imitatur. Similiter de serpente etiam, qui apparuit:

. . . . Adytis cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit.

Nono. Vergilius ut asperitatem magnam et vehementiam ostenderet, litera S saepius usus est, cui opem fert R. In Ampsancti loco describendo, quo se Alecto recepit, ut ad inferos rediret, ratione loci asperas literas seligens ita illum adumbravit:

Ampsancti valles densis hunc frondibus atrum
Urget utrimque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis et torto vertice torrens.

Decimo. Ligna findentibus aptum est S, cuius rei exemplum est in Lib. VI Aeneid. in operosa industria Troum illorum Miseno pyram ex arboribus construentium.

Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum.
Procumbunt piceae, sonat icta securibus ilex
Fraxineaeque trabes cuneis et fissile robur
Scinditur, advolvunt ingentes montibus ornos.

Undecimo. Placet igitur S inter ceteras ut plerumque admiscere, cum concussionem aliquam imitari volumus, nec minus, cum aliquid vehemens et spiritu plenum. Itaque videndum est, quaenam res conquassationem quandam perpetiantur, et quid sit illud, quod spiritu magno plenum dicatur et vehemens. Cum enim mare tumidum est, ita ut undae montium instar attollantur, cum venti spirant, quotiens tempestas aliqua describenda est, cum vehemens est pluviorum impetus, nubium densitas cum tonitribus coniuncta, caeli obscuritas et alia, quae cum his fieri consuevere, haec omnia a Vergilio diligentissime observata sunt. Praeterea etiam dicenda videntur armorum strepitus, conflictatio exercituum, flammarum irruptiones, fluminum exundantiae, molis cuiusdam aut machinae ruina atque alia huiusmodi.

De litera T.

T et D literae primo conatibus exprimendis sunt aptae. Exempli loco esse potest descriptio illius prope Carthaginem portus nulla arte facti, in quem Aeneas post maritimos cursus naves ex hieme marique scopuloso servavit. ‚Est in secessu longo locus, insula portum Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.' Ubi propter aquas admiscuit alias, quibus ipsius T non ita conspicuus sonus fiat.

Secundo. T et D strepitum et crepitum imitatur: ‚Franguntur remi. Tum prora avertit et undis Dat latus.' T repetitur, quod strepitum fracturae adiuvat suo sono.

Artificiosius etiam exemplum illud est crepitus bratteae, quo de aureo ramo narratur: ‚Quale solet silvis brumali frigore viscum, Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos, Et croceo fetu teretis circumdare truncos: Talis erat species auri frondentis opaca Ilice; sic leni crepitabat brattea vento'.

De litera X.

Cum asperitas quaedam describenda erat, elementum X inseruit, ut . . . ‚vivo praetervehor ostia saxo'. Cur quaeso putatis dixisse poetam ‚Praetervehor ostia saxo', non autem ‚ponto', ut

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

poterat (nam saxum eo loco pro mari accipitur), nisi ut hanc literam simul cum S haberet coniunctam ad id quod volebat in aquis exactius illustrandum?

Epilogus huius primi artificii.

Quare, ut huic tandem artificio finem ponamus (nihil enim restat amplius, quod ad literas pertineat), existimo non esse ullum apud Vergilium versum, qui literarum hoc artificium non complectatur. Quicunque enim acceptus sit aut casu temereque libro aperto sese nobis offerat, habere videbitur aliquid ex his, quae nos in elementis illustrandis animadvertimus. Scimus enim Vergilium dici solitum versus ursino more (?) parere, praeter cetera elocutioni adeo intentum, ut literarum praecipuam curam haberet. Sed dicis inveniri saepius, ut in paucis verbis diversarum rerum fiat mentio, ita ut eum qui omnes imitari studeat, necesse sit totidem elementorum permutationes collocare. Ita est profecto. Exemplo probabimus. Nam in eo versu:

,Ni faciat maria ac terras caelumque profundum' etc.

in primis verbis A repetit, quia de re ampla loquitur, et addens ,caelumque profundum' replicavit V, quia obscuritatem et turbulentiam aeris denotare voluit. In hoc vero exemplo:

,Et iacit: illa volans cypei transverberat aera'

tres vides varietates a totidem rebus desumptas. Primo enim ,iactus' est, qui per T repraesentatur (quia ,conatum' ostendit), deinde ,volatus' est, quem diximus litera L exprimi; postremo est armorum transverberatio, qui motus est in re ,dura et ferrea', quem imitamur elemento R.

De syllabis pauca coronidis vice.

Cum syllabae ex elementis componantur, eadem fere est syllabarum, quae singularum literarum fuit, explicatio, quamobrem rursus in eadem, quae iam disputavimus, incideremus. Cur enim versum illum:

,Verbera: tum stridor ferri tractaeque catenae'

magno atque asperiore sono aures ferre dicimus? Nonne quia litera R est assidua? Quodsi id ipsum syllabis tribuamus, quae quidem has literas recipiunt, nonne eandem rem explicabimus? Procul dubio. Itaque repetitio syllabarum vel ad cantus suavitatem*) vel ad luctus lugubritatem apta est. Potest etiam asperitatem versus exprimere, si ex asperioribus syllabis fiat, vel vocibus incomptis et sine ullo ad exornandam orationem delectu assumptis. Atque hoc quidem necessarium est admonere, ne semper aut ex quarumvis syllabarum repetitione vel cantum solum vel luctum expetamus. In hac autem re aures erunt iudices et res ipsa, de qua sermo fiet.

De Plurisyllabis.

Plurisyllaba sunt, quae duas syllabas excedunt. Atque quo pluribus coagmentantur syllabis, eo grandiorem reddunt orationem. Quam ob rem plurisyllaba Maro elegit et adhibuit, cum rem magnam atque admirandam ob oculos ponere voluit vel rem longam et vastioris molis. Ut cum locutus est de ducibus equo Troiano exeuntibus: ,Thersandrus Sthenelusque duces et dirus Ulixes', quid mirum, si graviter sonant illi versus?

Tali modo grandem orationem fecisse Vergilium atque insignisse observamus, plerumque cum rem vastam ac longam describere voluit, ut ,Quales cum vertice celso Aeriae quercus aut coniferae cyparissi Constiterant'. Et ,Nimborumque facis tempestatumque potentem'. Et ,Ledaeam Hermionen Lacedaemoniosque hymenaeos'.

Quanta quoque moles et magnitudo in hoc:

,Cornua velatarum obvertimus antennarum'.

---

*) Audi Opitzium:

,Die Lerche schreit auch: Dir, Dir lieber Gott allein
Singt alle Welt; Dir, Dir, Dir will ich dankbar sein.'

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quam orationis granditatem poeta aptissime longioribus verbis expressit. Sunt, qui vitiosum illum versum existiment neque ullius prorsus esse artificii. Imo vero in eo tanta elucet ars, ut nulli fere ex multis summo artificio a Marone conscriptis cedere posse videatur. Nam similiter cadentia in eo verba posuit, quo facilitatem rei maximae loco movendae denotaret, ita ut velocitatem admiremur, qua res alioqui paene immobiles, quo gubernator velit, et agat et ducat. Atque in illa voce ‚obvertimus' actus fere ipse illius versionis agnoscitur ob dactyli celeritatem. Quid vero aliud nisi molem magnam monstri in eo ostendit ‚Et centumgeminus Briareus . . . ?' ubi novum verbum componere non dubitavit, ut multarum syllabarum illud faceret ad rem, quam quaereret, demonstrandam. Atque similes sunt illi versus: ‚Interea, cum iam stabulis saturata moveret Amphitryoniades armenta, abitumque pararet'. Et ‚Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem'.

Numerus etiam ac multitudo videntur plurisyllabis verbis exprimi solere, ut est illud: ‚At Danaum proceres Agamemnoniaeque phalanges', Huc et illud spectabit apud Ciceronem in Lib. I de Leg. *Canescet saeclis innumerabilibus.*

Videntur et versus illi in quinta regione spondeum habentes nescio quid auctoritatis proferre, qui magna ex parte a Marone tunc fiunt et adhibentur, cum res vel stabiles vel aegre mobiles ut depingantur, optabile est, aut ubi quasi quaedam cum animi tum corporis exprimenda est stabilitas. Hinc igitur non solum multisyllabas dictiones poeta elegit, sed etiam spondiacum versum condidit in illo: ‚Ardea Crustumerique et turrigerae Antemnae'. Et: ‚Stant et iuniperi et castaneae hirsutae'. Nam sic magnitudinem arborum et firmitudinem adumbravit.

Exemplum, quo herois species explicatur, videmus: ‚Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?'

De Paucisyllabis.

In his nihil aliud habeo quod moneam, nisi iis, quae voces plurisyllabae valebant, contrarium usum. Igitur quia in illis vel tarditatem rerum vel gravitatem notavimus, in his vel celeritatem inveniemus vel exilitatem.

Celeritatem cum dico, intellego etiam facilitatem peragendarum rerum, brevitatem temporis atque alia, quaecunque ad haec reduci solent. Ex his apparet etiam, cur bona pars nominum ex paucisyllabis constet, ut ‚Euryale, audendum dextra. Nunc ipsa vocat res. Hac iter est: tu ne qua manus se attollere nobis A tergo possit, custodi et consule longe'.

Verisimile est etiam eos, qui ita loquerentur, ut audiri nollent, brevioribus verbis usos esse. Huc igitur haud scio an spectaverit Caecilianum illud de re clam et occulte peracta loquens ‚Ea me clam secum mea ancilla ait'.

In Nisi oratione mira celeritas pro amici vita mori cupientis insignitur ‚Me, me (adsum qui feci) in me convertite ferrum, O Rutuli! mea fraus omnis; nihil iste nec ausus, Nec potuit'. Ceterum existimo et illum, qui vitam ab Aenea impetrare volebat, his verbis orantem introduci ‚Per te, per qui te talem genuere parentes' sine dubio, quia breve iam videbat vitae spatium, ita ut vix pauca quaedam ei proferre liceret.

Atque haec quidem de primo artificio dicta sunto.

Alia artificia in Specimine Primo enumerata sequentur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf